R. P. Norberti
Frank Ord^{is} Camald

✠

MARIA, IN COELUM ASSUMPTA, SCALA PECCATORUM.

VENERABILI CAPITULO ECCLESIÆ CATHEDRAL. VLADISL.

per

R. Michaelem Rychalski, *E. C V. Pœnit. S P.*

ERECTA:

ANNO
à descensu DEI in terras,
M. DC. LXXVIII.

SUPERIORUM PERMISSU.

DECUS & PRÆSIDIUM
VENER. CAPITULI VLADISLAV.



De terris ad Cœlos transvecta, SCALA facta est mortalibus, qua ad Cœlo[s] scandant. Leo Imperator Hom. 16.

Hæc peccatorum SCALA, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ S. Bernard, Serm, in Nativ, B, M, V,

ILLUSTRISSIMIS
ET
REVERENDISSIMIS
PER-ILLUSTRIBUS
REVERENDISSIMIS,
AC
ADMODUM REVERENDIS
DOMINIS,
D. D. D.

PRÆLATIS
ET
CANONICIS,

ALMÆ ECCLES. CATHEDRALIS VLADISLAVIENSIS,
D. D. Patronis Colendissimis & Observandissimis.

P. F.

Ignosci-

AGnoscite, Illustrissimi & Reverendissimi, Per-Illustres Reverendissimi, ac Admodum Reverendi Domini, *si nimium fortè audax hunc qualemcunq; ingenioli mei ac studiorum abortivum fœtum obtutibus Vestris offerre, & Amplissimo Vestro Nomine insignire præsumpsi, æquum enim erat, ut quemadmodum olim* DEUS *Patriarchæ Jacob mentalibus oculis* SCALAM, *cujus cacumen Cœlum tangebat, objecit; ita & ego Mystici corpo-*

ris, id est, Ecclesiæ militantis, cujus CHRISTUS *caput est, mysticis quoque ejus oculis, Vobis scilicet*, Illustrissimi & Reverendissimi, Perillustres Reverendissimi & Admodum Reverendi DOMINI, *(Oculi enim Ecclesiæ sunt Prælati, teste Hugone, S. R. E. Cardinali)* SCALAM *peccatorum cœlestem*, MARIAM *in cœlum assumptam præsentarem: quibus & cum omni reverentiæ significatione præsento, dico & consecro. Non quod existimem, opus dignum esse Excellentissimo* Nomine

Vestro, qvo tum in Reipublicæ Polonæ aucto Stemmate, tum inter Illustrissimos ac Reverendissimos *PRÆSULES & ANTISTITES, cum summa Virtutis & raræ Doctrinæ Sapientiæq́ laude præfulgetis; Sed qvod officii mei partes exigerent, insignis beneficentiæ Vestræ in me demonstratæ, non oblivisci. Ingratus est, inqvit Seneca, qvi beneficium accepisse se negat, qvod accepit. Ingratus est, qui dissimulat. Ingratus, qvi non reddit. Ingratissimus omnium, qvi obli-*

tus

tus est. Cum verò par nihil possim, hoc perpetuæ ergà Vos observantiæ pignus relinquere volui. Suscipite igitur quo polletis Vultu & Animo Heroico super omnes Cœlos exaltatã & Angelicis Choris PRÆLATAM, Prælati; *Admittite* Dispensatores Regiæ Domûs, *Intemeratam* DEIPARAM, REGINAM *omnium, conscendite Seraphico affectu SCALAM Cœlestem, Angeli; De* Prælatis *dicitur in Psal. 103. inquit Joannes Vitalis S. R. E. Cardinalis: Facit Angelos suos Spiritus,*

& Ministros suos flammā ignis. Vivite DEO, MARIÆ, Ecclesiæ S. Ornamento, vivite fulcimento Patriæ, pleni dierum, splendentes Virtutibus, aucti Honoribus, æternitati victuri. Ita ex fundo cordis sui sincere vovet & optat!

Illustrissimarū & Reverendissimarum, Per-Illustrium Reverendissimarū ac Adm. Reverendarum Dominationum Vestrarum,

Humillimus Servus

M.R. *E.C.V. Pœnit. S.P.*

PRÆ-


mea
inter
Sic



PRÆFATIO.

REvocatus ad Vitam à S. Martiali Episcopo, Adolescens qvidam, jussus ea, qvæ in Inferno vidit, narrare, surrexit, & dixit: Infernus nullam habet mensuram, ibi est fletus, & amaritudo tenebræ, mugitꝰ, planctꝰ, tristitia magna, frigus, & ignis magnus & horribilis, & nunquam deficiens, morsus serpentum, fœtor intolerabilis, putredo, miseria, & vermis, qui nunquam moritur, ibi

ſunt carcerarii infernales, qui animas flagris cruciant. Quæ inferorum ſupplicia, tam magnum atq; adeò horrendum & infinitum ſunt malum, ut homini, qui hoc credat, nulla alia prorſus cura, nullus alius omninò metus eſſe debeat, quàm ne in illud tantum & tàm ingens ærumnarum omnium barathrũ aliquando demergatur. Id usq; adeò verum eſt, ut qvamvis divino quopiam Oraculo conſtaret, ex totâ hominum qui ſunt, fuerunt, vel erunt, univerſitate, unicum omninò ad tormenta illa condemnandum; unumqvemqve tamen in perpetuo timore & tremore vivere meritò oporteret, ne ipſe videlicet is eſſet, tàm infortunatus ac miſer, in qvem ſors tàm horribilis infeliciſſimè caderet. Nunc autem cùm tot evidentiſſimis SPIRITUS S. teſtimoniis, & aliis

certis-

certissimis constet argumentis & revelationibus (ut hìc summatìm cuilibet ob oculos ponitur) multos esse, imò plurimos, ac tantum non infinitos qui spatiosam perditionis viam incedunt, paucissimos qui arctam viam salutis: quanta hac in re omnium & singulorum, quorumcunque debeat esse sollicitudo, & efficax operatio, qua & pereuntium reproborum innumeræ subtrahatur multitudini, & electorum in æterna felicitate pusillo tandem cœtui aggregetur. Nullum autem certius prædestinationis signum esse potest, quàm fidelis amor, fervens devotio, & continua laus Sanctissimæ DEI Genitricis MARIÆ, juxta illud Eccl. 24 In multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur. Ubi subtilis quidam Auctor ita discurrit: Qui porrò in

Sacris sunt literis electi? qui benedicti? nonne ii, qui ad vitam æternam præordinati sunt, dicente Evangelio: Multi vocati, pauci verò electi. Et illud: Venite benedicti Patris mei. En quomodo consonant Scripturæ, Sapientia, sub qvo nomine Beata Virgo intelligitur, habuit laudem in multitudine Electorum, & inter benedictos benedicetur. Qvodsi igitur laudas animitùs, & deprædicas Sanctam DEI Genitricem, electus es, si benedicis ei, benedictus es: & utrumq; teste ipsa Sapientiâ omen est, ac tessera prædestinati. Hinc S. Anselmus de excell. Virg. c. I. Qvomodo, inqvit fieri potest, ut ex memoria laudum ejus salus non proveniat peccatorum, cujus uterus factus est Via, (SCALA) ad sanandum peccatorem venienti Salvatori. Et Franc. Coste-

Costerius in domo propitiat. Sicut, inquit, Filius DEI *datus est nobis in pretium, ita Mater* DEI *data est nobis in solatium, cujus munus planè sit Filium nobis dare, ejus merita impetrare, ejus satisfactionem & pœnas nostris vulneribus, atq; peccatis applicare. Cum magna ergo fiducia adeamus & rogemus* MARIAM, *cum enim mitissima sit, repulsam non patiemur. Et quia tota amabilis ac svavis, nihil antiquorum peccatorum exprobrabit: Et quamvis non sit speciosa laus, inquit Sophronius, in ore peccatoris, noli cessare à laude, quia inde tibi permittitur venia, unde & omnibus, ut laudes. Cum verò, ut ait S. Ildelfons. Ser. 1. de Ass. Vera laudatio cordis, imitatio est operis; idcircò ipsius Virginis profundam humilitatem, integerrimã ab omnibus carnis illecebris puritatem, ardentissimum erga* DEUM *amorem, cæterasq; ejus virtutes pro Viribus imitandas suscipiamus, atq; adhortante D. Laurent. Justiniano de Nativ. V.* DEUM *veneremur in Ma-*

tre, Matremq́; honoremus in Filio, quatenus Filium Genitrice interpellante pro nobis, vincamus mundum, diabolum superemus, renitamur tentationibus, adipiscamur Coronam, atq; regnum introëamus æternum.

§. I.

Variæ ad Cælum Scalæ recensentur.

SCribit Polyænus Lib. 7. Stratagemat. Apud Thraces Cosingam Junonis Sacerdotem, ac de gentis more belli Ducem, detrectantibus imperium Thracibus, ligneas SCALAS quàm plurimas ingentesq́; construi, & alias aliis imponi curasse, quibus in cœlum ad Juno-

Junonem de contumacia plebis accusaturus ascenderet. Quo facto stupidam gentem ita perculit, ut se in posterum obedientem fore jurejurando firmaret. Hunc ascensum Scalarum, quem ille ementiri potuit, non autem perficere, cuivis ad verum Numen conscendenti, necessarium esse docet Joannes Climacus grad. 26. Omni arte, inquit, omniq; studio quisq; uti debet, ut lutum hoc à terra elevans in DEI solio collocet. Idcirco variæ extant Scalæ, quibus Cœlum conscendi potest; Scala est Religio, nam S. Hieron, Ep. ad Furiam, vocat Religiosam Vitam Scalam Jacob. uti & S. Benedictus in Reg. c. 7. per hanc Scalam S. Romualdus suos Religiosos vidit in cœlum conscendentes. Alia SCALA est scientia, teste Richardo Victor. Trac. de exter. mal. c. 6. Felices, inquit, quibus exteriorum Scientia, fit Scala ascensionis,

nis, non ruina dejectionis. Per hanc ad astra conscendit S. Andreas Corsinus; ipso enim Christi nascentis pervigilio, visus est per Scalas in cœlos conscendere. Alia Scala est Creaturarum omnium: DEUS namq;, inquit, S. Basilius Orat. 1. cum res creatas in modum Scalæ adoptarit, per eam sui amantibus ascensum, ad se extruxit. Per hanc S. Franciscus Seraphicus ascendebat, de omnibus sibi SCALAM faciens, per quam conscenderet, ad apprehendendum eum, qui est desiderabilis totus. Teste D. Bonavent. in ejus vita. Alia est SCALA patientiæ & Martyrii, prout loquitur D. Salvianus: Martyres ad cœlestis regiæ januam, gradibus pœnarum suarum ascendentes, SCALAS sibi quodammodo de equuleis catastisq; fecerunt. Ita S. Sadoth Ep. SCALAM ad cœlum usq; porrectam, vidit, & se à S. Simeone magnis vocibus

sursum

ſurſum invitari audivit, & poſtea unà cum centum viginti octo aliis, capite plexus, eo, quo invitatus erat, abiit. Alia SCALA eſt pænitentiæ: Magna ſuper terram eſt pænitentia, inquit, S. Ephrem. Trac. de pænit. quoniam SCALA animabus fit eo aſcendendi, unde per peccatum deturbatæ ſunt. S. Theoni S. Petrus SCALAM in cœlum porrectam oſtendens, dicebat: per eam in cœlum eos evadere, qui hinc exeunt perpurgati magis: nonnullos verò minùs perfectos, ajebat, in cænobio diutiùs debere purgari. Hinc Solitudo SCALA vocatur à S. Laurent. Juſtin. Lib. de vit. Solit. SCALÆ ſunt Virtutes omnes, ſic nos Sanct. Chryſoſtomo adhortante, Hom. 82. in Joan. tanquam per gradus quosdam aſcendentes per SCALAM Jacob, ad cœlum perveniamus: etenim SCALA illa paulatim per Virtutes aſcenſum ſignificare

care videtur, per quam à terra in cœlum aſcendere licet, non gradibus ſenſibilibus, ſed morum incremento. Quemadmodum aſcendebat S Furſeus, qui quodam mentis exceſſu, de ſe ſuiq; ſimilibus illo Pſaltis verſiculo: Ibunt Sancti de virtute in Virtutem &c. 85. gratulantes Angelos audivit. Quin ipſa vitia in SCALAS ad cæleſtem beatitudinem converti poſſe à S. Auguſt. traditur in Append. ſerm. 58. Elevabunt nos, ſi fuerint infra nos: De vitiis noſtris SCALAM nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus. S. Perpetua Mart. per quietem, anguſtam & auream SCALAM, in cœlum usq; porrectam, vidit, plenam hinc atq; inde cultris & gladiis, ſub qua Draco jacebat, formidabilis aſcenſuris; quem tamen ne timerent, S. Satyrus puer, mox Martyr, SCALAM conſcendens, ſocios hortabatur. His igitur enumeratis SCALIS

LIS cœleste panditur iter; verùm præter istas supersunt adhuc binæ & præcipuæ de quibus.

§. II.

Primariæ ad Cœlum Scalæ, JESUS, & MARIA.

PRima & præcipua ad cœleste Palatium SCALA est, JESUS Crucifixus. Discurrunt SS. Doctores cur Christus DOMINUS Crucem portarit? Et bajulans sibi crucem. Joan. 19. Glossa ait: Ut illam illis commendaret, qui post ipsum erant portaturi. S. Bernard. serm. 15. in Cant. Ut in ea peccata tua, & totius mundi crimina deferat ad locum

locum expiationis. Isidorus Pelus. Lib. 1. Ep. 289. Ut eam tanquam Victor humeris tollens incederet, Sanctus Gregorius Nazianzenus Oration. 2. in Pasch. Ut balantem ovem inveniret, inventam eisdem humeris, quibus & crucis lignum sufferret. Hugo Carens. Suam portat crucem, ne putares Christi crucem sufficere sine tua. Tandem B. Simon de Cassia Lib. 13. in Pass. Ut nobis SCALAM in cœlum pararet. Interrogat enim Christum? Quare defers Domine hanc lignorum sarcinam? Et respondit in persona ejusdem: Porto lignum, ut præterhumanas artes, ex ipso faciam gradus ascensionis in cœlũ. Nam Crux, teste S. Aug. serm. 8. de Verbis Domini, SCALA est, qui in hanc SCALAM non ascendit, neq; in cœlum ascendet, neque Christum videbit. Sicut autem Jacob vidit DOMINUM innixum SCALÆ; ita nos DEI Filium

um cruci non innixum ſed affixum videmus ait Benedictus Fidelis.

Altera SCALA cœleſtis eſt DEI Mater B. V. MARIA. S. Bernardus aſſerebat, quod Auctor mirabilium DEUS, tria quædam mirabilia operatus eſt in MARIA. Primum: Integritatem munditiæ mirabiliter conſervavit, ut Arca teſtamenti auro puriſſimo tegeretur. Secundum: Puritatem Virgineam potenti virtute fæcundavit, ut Rubus ardens non combureretur. Tertium: Ima ſupernis ineffabiliter copulavit, ut SCALA Jacob mediante terrena cœleſtibus unirentur. Unde Richard. de S. Laur. Lib. 10. de laud. B.V. Nota, inquit, quæ dignitas MARIÆ, quæ deſignatur per SCALAM. Hæc SCALA adhuc in utero Matris erecta fuit, teſte S. Andr. Creten. Prophetarum prædicationes nunc implentur, mons enim ſanctus in Annæ viſceribus

collo-

collocatur, iisdem inseritur SCALA Divina. S. August verò serm. 11. de Nativit. Domini: Facta est, inquit, MARIA, SCALA cœlestis, quia per ipsam DEUS descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad cœlum. Idem asserit S. Fulgent. serm. de B. V. M. DEIpara omnibus mortalibus ad cœlum SCALA est. Sed ad propositum meum Leo Imperator Hom. 16. ait: De terris ad cœlos transvecta, SCALA facta est mortalibus, quâ ad cœlos scandant. Hinc D. Bonavent. in Hymno Te Matrem DEI laudamus &c. Tu, inquit, SCALA Regni cœlestis & gloriæ. Et S. Ephrem. sic eam salutat: Ave Porta cœlorum, & SCALA ascensusq; omnium. Orat. de Deip. Jam verò ex his duabus SCALIS quæ sit ascensu felicior & securior, ex sequenti Historia patebit.

Legitur in Chronicis Minorum

part. I.

part. 1. L. 2. c. 35. Fratrem Leonem Socium S. Francisci in somnis vidisse homines ad Judicium, Angelis tubis personantibus in quodam magno prato congregari, in quo duæ SCALÆ erant à terra in cœlum protensæ, una rubea, in cujus summitate videbatur Christus, quasi offensus & iratus, altera ex aliâ parte alba, in qua aderat DEIPARA. S. Franciscus verò suos Fratres magna voce, ut ad Christum fidenter ascenderent, invitabat; inter ascendendum autem unus è tertio, alius è quarto, alius è decimo gradu, alius è media SCALA, alius ex summitate cadebant: Cumq; S. Franciscus Christum Regem pro suis Fratribus interpellaret, Christus illi ostendebat manus & latus recenti sanguine perfusa, quæ ab ejus Fratribus sibi facta querebatur, qua suorum ruina permotus S. Franciscus, fratres ad SCALAM albam evocavit, in

cujus

cujus summitate Virgo DEIpara apparuit, quæ eos benignè excipiebat; ita ut sine labore in regnum ingrederentur. Haud poterant Religiosi Fratres SCALAM rubeam, quæ rigorem justitiæ Divinæ denotabat, conscendere, & nos miseri ingenti gravissimorum peccatorum sarcina onusti quomodo conscendemus? ô quam multi & pænè innumeri ex hac SCALA justitiæ Divinæ in horas & momenta decidunt in profundum inferni, & æternum pereunt!

§ III.

Scalæ ad Infernũ non sunt necessariæ.

JOseph⁹ Scaliger, de Veronensium Scaligerorũ sanguine se jactitans, in

in Symbolum gentilitatis delegit SCALAS alatas, cum Lemmate: SCALIS & Alis. Quos altos Spiritus hominis hetorodoxi, ut alter reprimeret, ad inferos cum sui Sectatoribus ruentis, subjecit: Ibi non opus est SCALIS nec Alis: quia facilis descensus averni. Profectò facilis, uti constat ex Scriptura sacra. Genes. 6. Præco Justitiæ Nöe, centenos omninò annos orbis eluviem concionatus est; at omnibus in scelere obfirmatis, Pauci, id est octo animæ, salvæ factæ sunt: reliquos omnes mortales non modo pelagus, sed & tartarus absumpsit: Omnis quippe caro corruperat Viam suam. Et ut Pererius in c. 6. Gen. Lib. 9. Disp. 3. n. 63. docet, atque ex Sancto Augustino confirmat, omnes adulti, qui in diluvio perierunt, in peccatis mortui, æternum damnati sunt. Regio Jordanis, quæ olim Universa irri-

gabatur sicut Paradisus Domini, quinque regna seu civitates complectebatur. In his usque adeo regnavit abominabilis libido peccati, ut non reperirentur illic decem, qui non eo scelere contaminati forent. Quid igitur? Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem, & subvertit civitates has, & omnem circa regionem; universos habitatores Urbium, & cuncta terræ virentia. Loth solus cum Uxore (quæ & ipsa post se respiciens, in salis statuam est conversa,) & duabus suis filiabus, incendium illud evasit. Genesis 13. Hinc Sanct. Gregorius Libr. 4. moral. cap. 10. ait: DEUS destruxit Pentapolim; igne punitus fuit ardor libidinis. Tobias ex Tribu & Civitate Nephtali, cum Junior esset in Tribu sua, nihil tamen puerile gessit in opere. Denique cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jerobeam fecerat Rex

Israel,

Iſrael, hic ſolus fugiebat conſortia omnium: ſed pergebat in Jeruſalem ad Templum DOMINI, & ibi adorabat Dominum DEUM Iſrael. Tob. 1. Recenſiti filii Iſrael, Numer. cap. 1. inventi ſunt in Tribu Nephtali, à vigeſimo anno & ſupra, omnes qui poterant ad bella procedere, quinquaginta tria millia quadringenti; nec pauciores Tobiæ temporibus fuiſſe, exiſtimandum. Atqui hi omnes, Idololatræ, Vitulos aureos adorant. Solus Tobias eorum fugit conſortia. Quid de reliquis Filiorum Iſrael tribubus cenſendum?

Probatur adhuc facilis deſcenſus averni per ſimilitudines: Iſaiæ 24. Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum. Quomodo ſi paucæ olivæ quæ remanſerunt, excutiantur ex olea; & racemi cum fuerit finita vindemia. Id eſt, tàm pauci ſalvabuntur in orbe

terrarum, ex tota hominum multitudine, quàm paucæ relinqvuntur olivæ in arbore postquam excussæ fuerint. Rursum, quàm paucæ reperiuntur uvæ in vite post vindemiam, tàm pauci salvabuntur. Horrenda & terribilis comparatio, inquit Adamus Sasbout, Homil. Domin. Septuages.

Quomodo interrogabis terram, & dicet tibi, quoniam dabit terram multam magis; unde fiat fictile, parvum autem pulverem unde aurum fit: Sic & actus præsentis sæculi: Multi quidem creati sunt, pauci autem salvabuntur. Esdræ L. 4. c. 8. Qui quidem liber, etsi S. Scripturæ libris non accenseatur, eximiæ tamen est auctoritatis q. d. sicut terra multam dat materiam, ex qua fictilia fiunt vasa; paucam verò ex qua fiat aurum, argentum &c. Sic multi sunt hominũ de terra terreni, & de reproborum numero; pauci

autem

autem de cœlo cœlestes, & de numero prædestinatorum. Atque fortasse, ait Franciscus Suarez, ob hanc causam in Scriptura electi dicuntur vasa aurea, & comparantur gemmis & lapidibus pretiosis, quia sicut hæc sunt rara; ita etiam illi. In 1. part. D. Thomæ L. 6. de prædest. c. 3.

Idem descensus facilis averni stabilitur exemplis. Trithemius in Chronicis ad Annum 1160. tradit quendam mortuum Eremitam antea ArchiDiaconum Lugdunens. ab Episcopo Lugdun. requisitum, ut, quis status ejus esset, ediceret, taliter respondisse: Ea hora in qua ego migravi de corpore, triginta millia hominum ex hac luce transierunt; è quibus Bernardus Abbas Clarevallensis unà mecum evolavit ad cœlos, tres alii ad purgatorium; & cœteri omnes per sententiam justi Judicis, condemnati ad inferos cruciandi perpetuo descenderunt.

Sanctus Antoninus 3. p. hist. tit. 24. cap. 9. Sec. 2. scribit fœminam cujusdam vitii sibi consciam, quod pro suggestu gravissimis verbis Bertoldus Ord. Sanct. Francisci insectabatur, tantis animi doloribus oppressam, ut exanimis repentè conciderit; mox tamen ad preces populi ad se rediit, recensuitq; ad tribunal DEI adducta sexaginta millia, vario mortis genere defunctorum, ac tres duntaxat animas, ex ingenti hoc numero ad purgatorias pænas relegatas, cæteras ignibus addictas æternis.

Sanctus quidam Eremita, uti refertur in Libr. de ortu Carthusiensium, visitatus ab Innocentio VI. Papa, pro tunc Cardinali, & ab aulicis quasi mortuus excitatus, clamavit voce magna: ô! ô! vidi mirabilia! vidi horribilia! sciscitanti verò Cardinali, respondit: Ductus ad infernum, vidi decidere animas,

sicut

ficut nives denſiſſimas, aërem obnubilantes: ad purgatorium verò ſicut nivem rariſſimam: ſed ad Paradiſum tantum tres introire vidi animas, illius ſcilicet Epiſcopi, & illius Prioris Carthuſienſ. & iſtius Viduæ Romanæ, ſingulas ſuo nomine compellans perſonas. Cardinalis igitur veritatem ſcire volens Viſionis, miſſis hinc inde nuntiis, comperit animas illas eodem tempore, corpore ſolutas fuiſſe.

S. Obitus, miles Nobilis, poſtquam infernum, & animas eò, inſtar denſæ nivis, deſcendentes vidiſſet, vitæ reliquum tempus in ſevera corporis afflictatione duxit. Nadaſi An. Cæleſt. 4. Feb.

Hæc qui legit, nonne ſanam illam Philippi Cancellarii Pariſienſis quæſtionem Guilielmo ejusdem Urbis Præſuli propoſitam arbitrabitur: qui ann. 1238. teſte Cantiprat. L. 1. ap. ab inferis redux, ſe ei ex-

hibens, percunctatus est, utrum mundus adhuc subsisteret? Annuente cum admiratione Episcopo, subdit ille: Ne mirare quod hoc interrogem: Tantus enim numerus damnatorum descendit ad infernum, quamdiu in eo sum, ut nunquam credidissem tot homines inveniri in mundo. Sed objicietur forte hanc multitudinem damnatorum conflatam ex infidelibus, &c. De fidelibus autem & Catholicis sub S. Romanæ Ecclesiæ protectione Viventibus quid sentiendum?

§. IV.

Sine Scalis, etiam Christiani & veri Catholici, descendunt in infernum.

Marga-



Clamaverunt justi et Dominus exaudivit eos. *Psalm. 33.*

Bug Moy y wszytko ten
y Zawsze w czasie y wieczno

Bug Milosciа iest y kto w Mi
Mieska w Bogu Mieska a Bog w

Siostrze Helenie Zofii od w

U
mo
Po
sa
cœ
la
di
tu
nu
ru
pr
ga
an
pr
ce
ar
in
om
co
ne
dæ

MArgaretha Auſtriaca, Philippi III. Uxor, paucis ante extremum morbum diebus inambulans Regio Porticu, vidit piam tabulam appenſam, in qua anguſtæ SCALÆ in cœlum erectæ: per quas genio tutelari duce quosdam conſcendere vidit, infernè verò per latos gradus turmatim alios, tenentes tympanum & citharam, ad Tartarum proruentes. Hic Regina in lacrymas profuſa, dum à matrona comite rogaretur; reſpondit: o Soror! in hoc ancipiti bivio collocata ſum, dubia prorſus, ubi anima è corpore exceſſerit, an hac, an illac, quod iter arrepturus. Quodſi anceps hærit integerrima Princeps, meritò etiam omnis Chriſtianus continuò horrore concuti debet, ſenſum intimè penetrando horribilis illius & tremendæ ſententiæ, multi ſunt vocati,

pauci verò electi. Matth. 20. Nemo enim scit, an illa vocatione sit vocatus, quâ secundum propositum illi vocati sunt, de quibus scriptum est: Qvos vocavit, illos & justificavit, illos & glorificavit. Rom. 8. Nemo scit, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta. Ecclesiast. 9. Exiguum verò esse numerum Electorum, & multo minorem, quam reproborum, etiamsi de solis Orthodoxæ fidei cultoribus, exclusis parvulis, qui ante usum rationis obeunt, Sermo sit; infallibili Scripturarum testimonio multisque indiciis & rationibus, atque ipsa experientia evincitur.

Numer. 14. Moysen sexcenta millia virorum Israelitici populi, (qui typum haud obscurum fidelium Christianorum expressit.) absq; parvulis & mulieribus, eduxisse Ægypto legimus, qui ut minimum,

Vigesies centena millia, seu duos Milliones æquabant, præter vulgus promiscuum innumerabile, Exodi 12. quod subsequebatur: Verùm è tanto tamque innumerabili exercitu filiorum Israel, duos solummodo Josue & Caleb, in terram promissionis pervenisse, cæteris omnibus eremum pro capacissimo tumulo fuisse. Quod, ut Sanctus Augustinus Sermon. 32. de Verb. Domin. non Barbaros; sed suos commonet, non transitoriè vel negligenter, sed ingenti tremore considerandum est, quia de sexcentis millibus duo tantùm terram promissionis ingressi sunt. Ex quibus concludit: Hoc ergò audiant, qui ita DEUM misericordem esse volunt, ut justum esse non credant. Hæc autem in signo contingebant illis, ad ostendendum, quàm sit exiguus numerus electorum, comparatione reproborum.

Rex David cum quæsisset à Domino: Quis habitabit in tabernaculo tuo, Psalmo 14. Spiritu Sancto responsum suggerente, ait: Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam. Item in alio Psalmo 23. Quis ascendet in montem Domini? Innocens manibus & mundo corde. Quis autem potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato. Proverb. 20. Aut quis audebit asseverare, se innocentem esse, & omni macula carere? Dicit CHRISTUS: Qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Matthæi 10. At CHRISTI Crucem quàm pauci amplectuntur? Audiamus Apostolum: Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ JESU Christi. Philipp. 2. Qui autem Christum non quærunt, reprobi sunt. Rursum ait Redemtor noster: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini si-

cut parvuli, non intrabitis in regnū cœlorum. Matth, 18. Hoc verò si expenderit humana superbia, inveniet absque dubiô paucissimos esse, qui per humilitatem, & simplicitatem in naturam puerorum reverti studeant. Testatur Apostolus eos, qui secundum propositum vocati sunt Sancti, prædestinatos à DEO fuisse, ut conformes fierent imagini Filii sui. Roman. 8. At quis est, qui possit gloriari, Vitam suam Vitæ CHRISTI conformem esse. Quis est, qui cum ipso patiatur, ut simul possit glorificari? Omnibus dictum est: Si vis ad vitam ingredi serva mandata. Matth 19. Omnes autem declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Psalm. 13. Regnum cœlorum vim pati, & violentos illud rapere, cœlorum REX testatus est. Matthæi 11. Violentum verò cum

sit contra naturam, in paucis contingit, unde fit, ut pauci omninò sint, qui vim sibi inferre velint, & illud regnum futurum, à sensibus abstractum, & solo fidei lumine obscurè cognitum, bono sensibili & præsenti præferre. Quodsi stellæ non sunt mundæ in conspectu DEI, quales erunt homines terræ affixi, & in densa sæculi nocte viventes? Si omnes justitiæ nostræ sordidissimæ sunt, ut ait Propheta, quales erunt injustitiæ & iniquitates? Isai, 64. Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt? 1. Pet. 4.

Confirmari idem potest ex paucitate eorum, qui ex hac vita verè contriti decedunt: quamvis enim multi videantur hominibus benè mori; dolor tamen de peccatis ex metu mortis procedens, ad veram pænitentiam difficillimè pertingit. Nam quomodo poterit bonam vitam inchoare peccator, cum ad ejus finem

perve-

pervenit? Quomodo poterit ſuper omnia mala deteſtari peccata, ſuasque delicias abominari, quas totius vitæ decurſu intenſiſſimè adamavit? Quomodo ex animo pœnitentiam amplecti, à qua ſemper abhorruit? Quomodo ſtatuet efficaci decreto deſerere, ſi vita ſuperſit, quibus inveterato uſu aſſvevit? Quomodo intellectus inter morbi & mortis angores res ſupernaturales, à ſenſibus remotas meditabitur, de quibus integris viribus aut nunquam, aut nonniſi obiter cogitavit? Quomodo vincet contrariis actibus anteactæ vitæ conſvetudinem in tantis ægritudinis, temporis, & tentationum anguſtiis? Profectò ſignanter obſervat Doctor Angelicus opuſc. de erud. Princ. L. 5. c. 8. Hâc animadverſione percutitur peccator, ut in morte obliviſcatur ſui, qui vivens oblitus eſt DEI. Unde graviſſimi Theologi Coninch, Suarez, Hen-

Henriquez, Magist. Sent. Anton. &c. docent, eum, qui vellet differre pœnitentiam ad finem vitæ, indubiè peccaturum mortaliter, ob præsentissimum periculum æternæ damnationis, cui se exponit: & qui tam diu manet, alienus ab amicitia Divina, ipso facto ostendit; se eam parvi facere; quod continet gravem injuriam in DEUM. Accedit, illum peculiari gratia, quæ ad contritionem requiritur, omninò indignum in morte, qui ea sæpiùs oblata in vita uti neglexit; additque Deaponte in cap. 6. Matth. annot. mor. 80. raró, & veluti ex miraculo concedi, ut in eo extremo conferatur; ad quod probandum severè expendit Sententiam D. Ambrosii dicentis in fine Lib. 2. de pœnitent. Qui autem positus in ultimo infirmitatis acceperit pœnitentiam; Signa, inquit, Verbum hoc, si confessus fuerit: & exit de corpore

corpore, fateor vobis, non illi negamus quod petit, hoc est absolutionem; sed non præsumo dicere, quod benè hinc exit, non præsumo, non polliceor, non dico, non vobis promitto, non vos decipio. Mirum, cum sit confessus, & absolutionem acceperit; sic trepidus Ambrosius de ejus Salute. Et ratio: Quia, ait, dum agis pœnitentiam, quando peccare jam non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Cum autē vera contritio odium peccatorum includat, & firmum propositum non peccandi, propter DEUM summè dilectum; qui tunc pænitet, quando illum peccata deserunt, non pænitet, quia illa abhorret, sed quia amplius peccare non potest. Divo Ambrosio consentit S. Augustinus Hom. 41. ex. 50.

Hujus rei luculentum exemplum Rex Antiochus præbuit 2. Mach 9. Cum enim ad extrema devenisset, sub

ſub potenti manu DEI humiliavit ſe, orans & promittens, illata Judæis damna reſarcire, templum exornare, ſpondens inſuper, ſe de ſuis reditibus pertinentes ad ſacrificia ſumptus præſtiturum, & abnegato ethniciſmo, ſe Judæum futurum, omnemque terram perambulaturum, & prædicaturum DEI poteſtatem. Quis poterat à peccatore plura & certiora Pænitentiæ ſigna exigere? Et hic tamen veniam non meruit, ſicut dicit Scriptura: Orabat Sceleſtus DEUM, à quò non eſſet miſericordiam conſecuturus, quia nimirum ejus pænitentia, ex metu mortis procedens, ſincera non fuit. Hinc S. Hieronymus moribundus dixit: Vix de centum millibus hominum, quorum mala ſemper fuit Vita, meretur à DEO habere indulgentiam unus. Teſte Euſebio Epiſt. 85. de tranſitu Sanct. Hieronym. ad Damaſum Pap. Et inferius: Qui dum

ſanus



FECIT MICHI MAGNA QUI POTENS EST.

C.P.?C.M. 128. *Mart. Engelbr. sc. et excud. A.V.*

ſanus eſt & juvenis DEUM offendere non formidat, in morte non merebitur divinam obtinere indulgentiam. Hoc teneo, hoc verum puto, hæc multiplici experientia didici: quod ei non bonus eſt finis, cui mala ſemper fuit vita. Idem Ibid. Et Joan. Trithemius Tract. de Inſtit. vitæ Sac. c. 2. ait: Qui omne tempus vitæ ſuæ in luxuria conſumpſerunt, in extremis vitæ ſuæ articulis, veram pœnitentiam rarò conſeqvuntur.

§. V.

Idem docent SS. Patres, & Eccleſiæ Doctores.

MAjor tàm Doctorum quàm Scholaſticorum Claſſis docent, majorem

Partem

partem Catholicorum damnari. Rex David Psalm. 33. inquirit dicens: Quis est homo, qui vult vitam? S. Basilius considerans hunc locum, & ad quæstionem Davidis respondens, sic ait: ô quam pauci! ô quam pauci sunt, qui vitam desiderant; nam pauci correspondent DEI vocationi.

S. Augustin. Lib. 3. contr. Cresc. c. 66. demonstraturus numerum præscitorum multò majorem esse, quàm prædestinatorum, tale indissolubile format argumentum, dicens: Quomodo ipse Dominus dicit, quàm arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam; si idem Dominus alibi dicit: Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham? Si iidem sunt pauci, quomodo multi? neq; unum horum est verum, & aliud falsum; cum utrumq; sit divina veritate prolatum.

Sed

Sed ecce quid dicam? Iidem ipsi boni, veriq; Christiani, qui per seipsos multi sunt; in comparatione malorum falsorumq; Christianorum, iidem pauci sunt.

S. Chrysostomus Hom. 40. ad populum Antioch, è cathedra dicens, quærit: Quot esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant? Infestum quidem est quod dicturus sum, dicam tamen: Non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur, quin & de his dubito. Quanta enim in juvenibus, quæso, malitia? quantus in senibus torpor? Filii curam gerit nemo; nemo zelum habet, ut senem respiciens imitetur: exemplaria deleta sunt, propterea neque juvenes laudabiles evadunt. Facilè autem Antiochiæ erant centum millia & plura, juxta Cornel. à Lapide in Matth. cap. 17. Vix ergo millesimum salvandum pronuntiavit.

D. Bern-

D. Bernardus: Non eſt niſi amor turpis in hoc ſæculo, nec fides ſecura, quia omnia quæ ejus ſunt contaminantur ſuperbia, avaritia, cupiditate & luxuria. Receſſit enim lex à Sacerdotibus, Juſtitia à Principibus, Conſilium à Senioribus, religio à Clericis, amor à Parentibus, fides à populo, reverentia à ſubditis, amor caſtitatis à virginibus, pudicitia à conjugatis. Et quid eſt quod non venit Antichriſtus: Jam enim à multis ignoratur Chriſtus, & à potentibus quaſi peregrinus habetur.

B. Dionyſius Rickelius Carthuſianus: Totus quaſi mundus errat, & in maligno poſitus eſt. Prô dolor! Tam in capitibus quàm membris; tam in clero, quàm in populo; tam in Religioſis, quàm in ſæcularibus; tam in ſenibus, quàm in juvenibus; tam in Maſculino, quàm in fæminino genere, corrupta eſt via uni-

versæ carnis. In Specul. amator. Mundi, ubi & S. Bernar. Verba allata citat.

Doctissimus Abulensis illud S. Matth. 22. Multi sunt vocati, pauci verò electi, considerans quæst. 69. Sequentia habet Verba: Multi sunt vocati ad fidem, id est, convertuntur ad eam, sed pauci electi, quia pauciores Christianorum sunt, qui salvantur, quàm qui damnantur.

Cajetanus illam sanguineis lacrymis deplorandam DOMINI Sententiam Matt. 25. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes interpretans, ait: Ex Christianis etiam illis, qui habent aliqualem curam salutis suæ, & apparent boni, medietatem perire, sicut dimidius prædictarum Virginum numerus à nuptiis Sponsi exclusus fuit: istumq; esse legitimum sensum literalem illius parabolæ de virginibus. Quæ sententia si est tam vera

quàm

quàm rigida, væ multis Christianis! Verba illius sunt: Terribilis sententia, quia media tantum pars fidelium, quorum lucent tàm bona opera, quàm studia ad obviandum Sponso, prudens ac per hoc salvanda describitur. Rationem hanc Svares lib. 6. de Prædest. c. 3. assignat. Nam sine dubio plures ex Christianis malè vivunt, & raró perseverant in statu gratiæ, & verosimile est ita mori sicut vivunt.

Adhæc, partem eam, quæ Christianorum hominum titulo gloriatur, intuere, & vide quo loco res Christianorum hoc exulceratissimo sæculo constitutæ sint, & fateberis, in hoc corpore mystico à planta pedis, usque ad verticem capitis vix aliquod membrum sanum reperiri; ita ut per notas exteriores vix sciri queat, an populus hic sit Christianus, an verò gentilis.

Hæc Magnus quidam Asceticæ

vitæ

vitæ magiſter perpendens: Pronum eſt, inquit, exiſtimare, majorem Chriſtianorum partem vivere in ſtatu peccati mortalis, & plurimos obire ſine Sacramentis rectè & ritè ſuſceptis.

Quidam ſententiam S. Chryſoſtomi, ſcilicet milleſimum vix ſalvandum reſtringendo, è decem millibus, unum duntaxat ſalvandum aſſeverant. Tenuit hoc mordicus S. Nilus, qui floruit ante ſexcentos annos, fuitq; fundator Monaſterii Criptæ ferratæ juxta Tuſculum, teſte Baronio Annal. Eccl. Tom. 10. ad an. 976. Hic cùm viſitaretur à primoribus Conſtantini Imperat. codicem quem præ manu habebat, aperit, & forte fortuna incidit in illud Divi Simeonis, quod ex decem millibus, vix reperitur una anima his temporibus, quæ ſalvetur. Quibus conſternatis dixit: Si demonſtravero vobis Magnum Baſilium, & Chryſoſtomum & Ephrem

beatissimum, & Theodorum Studitam, sed & Apostolum ipsum, nec non S. Evangelium, eadem sentientes & dicentes, quid patiemini vos, qui Spiritui S. adversamini? monuitque: Nisi virtute, & magna virtute præditi fueritis, nullus vos liberabit à pœnis inferni. Hæc ad Theophylactum aliosq; viros principes ac literatos fideles. O verè pauci, è decem millibus unus!

§. VI.

Sine Scalis ex statu sæculari descendunt in infernum.

IN statu sæculari, & præcipuè in Regio rara justificatio, non multi Reges

Reges Calendarii locum occupant. Carolus VIII. Ludovici XI. Galliarum Regis filius, è pincerna suo familiariter sciscitabatur: an non censeret paucos Reges in cœlis esse, & quid causæ putaret? Cumq; alter verecundè subticeret, causam ipse subjecit: Quid mirum, si rari in cœlo Reges, raros habent circa se veri monitores. Drexel. in Phaet. c.9.§7.

Religiosus Orator Alberto I. Imperatori à Concionibus perspecta Aulicorum licentia, hoc quasi oraculum è suggestu pronuntiavit: Neminem quemquam Aulicorum salvari, nisi qui fonte Baptismatis lustratus, in cunis vagiens innoxium Spiritum exhalasset. Æneas Sylv. Lib. 3.

Baro quidam in Anglia paucis ante obitum diebus sex Consiliarios & Senatores jam pridem vita functos in toga ignea conspexit, qui horrendum lamentabantur, ac moribundo ferale hoc decretum denun-

tiabant; dispone Domui tuæ, brevi enim apud nos eris. Pædagog. p. 1. c. 8. §. 8.

S. Hieronymus moribundus in exhortatione ad suos de divitibus & potentibus hujus sæculi dixit: Si Christus verax est, & si omnia quæ ex ore ejus audivi, mendacia non sunt, hujusmodi hominum vix unus aptus regno DEI invenitur de mille: teste Eusebio ad Damasum de morte S. Hier. Ep. 85. S. Waningo S. Eulalia V. M. apparuit & dixit: Waninge, facilius est Camelum per foramen acûs transire, quàm divitem in regnum cœlorum intrare. Nadasi in Anno Cœlest.

Milites paucos salvari testatur Tondalus Eques auratus, qui per visum jussus est vastissimum ac profundissimum stagnum per pontem angustissimum ac longissimum unà cum jumento, quod in vivis furto sustulerat, transire, non absq; mille

terro-

terroribus. Dionyſ. Carth. de 4. Noviſſ.

Eremita quidam inferni luſtrans conclavia, capaciſſimum conſpiciens, legit titulum: Pro Judicibus. Albert. Radziv. in Suſp. anim. C. 5.

Joannes Pareus Juriſconſultus, non procul a Florentia obambulans, vidit ſubulcum porcos in haram cogentem, quibus renitentibus, ac aliò divagantibus, tandem devoviſſe ingrederentur haram, ut iniqui patroni & cauſidici infernum; ſtatimque omnes gregatim involarunt. Wading. Annal. Minor. an. 1211. Talis Patronus cauſarum erat ille, qui Bellarmino ad ſe vocato dixit: Ego Domine cupivi alloqui te, non pro me, ſed pro conjuge mea, & filiis meis: Ego enim propero ad inferos, neque eſt quod aliquid pro me agas. Bellarmin. de arte benè moriendi L. 2. cap. 11.

Carolus Scribanius libere pronunti.

nuntiare auditus est: Tria potissimum flagitia homines in perniciem trahere: Superbiam, Luxuriam & Avaritiam; sic tamen, ut per Sacramentum pœnitentiæ ex centum superbis, facilè ad quinquaginta; ex centum luxuriosis, ad octuaginta; ex centum verò avaris, vix tres salventur, idque ob annexam restitutionem, quæ difficillima accidere solet. Ita B. Maria Ogniacens. rogans DEUM, quo in statu anima matris suæ defunctæ versaretur, conspexit horribile monstrum in Ecclesia, juxta aram consistere, utq; cognovit Matrem esse, ac æternis ignibus addictam, causam sciscitanti respondit. ob injusta lucra & usuras, quas restituere neglexisset, se damnatam esse. Cantiprat. L. 2. Ap. c. 54.

P. Drexelius in Niceta Libr. 2. cap. 12. Memini, inquit, & horreo, quod à Præceptore meo audivi:

vi: Si centum juvenes damnentur, è centenis illis, nonaginta novem, ob vitium carnis damnari. Sanct. Landelinum è juvene Angelico, impium & ferè diabolicum fecit mala Societas, ſed poſtea ubi morientem è ſociis unum à Dæmonibus ad æternitatem inferni auferri vidit, ad mentem & pœnitentiam rediit. Nadaſi in anno cœleſt.

Horribile dictu eſt, quod S. Remigius Epiſcopus Rhemenſis pronuntiavit in Epiſt. ad Roman. cap. 12. Demptis parvulis, ex adultis, propter carnis vitium pauci ſalvantur. Sanctus Gothardus Epiſcopus, cum mortuum adoleſcentem ad vitam revocaſſet, & expiaſſet, ille ſupplex, Jube, ajebat, jube me Sancte Pater, nunc iterum in pace quieſcere, Mundum nimis horreo, qui ſuos amatores mittit in gehennam. Nadaſ.

Sanctus Franciſcus de Sales refert Prax. Spir. p. 3. c. 12. B. Catharinam

Senensem inter damnatos, multos conjugatos conspexisse, propter violatum matrimonium. Talis erat Vir quidam profligatissimus, qui ab uxore officiosè admonitus, ut è cæno emergeret, ne æternas flammas incurreret, infernum esse non credens, repertus est in lecto repentina morte correptus, has literas in manu tenens: Jam certus factus sum, quod sit infernus. Garcias tom. 2. Conc. Evang.

Didacus Ruiz de Prædest. Disp. 54. Sec. 3. & 6. Pauciores Viros quàm fœminas salvari, variis argumentis & rationibus doctissimè probat & deducit. Mulieres verò damnari præcipuè ob fœdam libidinem, & peccata ejusmodi in confessione præ pudore suppressa, & ob nimium luxum in mundo muliebri, constat exemplis. Quædam enim exhibuit se filiæ, in specie porci, damnatam se dictitans, ob peccatum in confessione suppressum. Teste Lu-

dovic. de Pont. de Christ. perf. T. 4. tract. 5. cap. 7. Aliud refertur de quadam Moniali, quæ quod reticuisset peccatum carnale, sola cogitatione admissum, in æternum damnata fuit. Albertus de Albertis L. de Luxu Mulier. refert: Mulierem quandam nonnemini apparuisse post mortem grandi pectine, ferroque flammeo, maledictos crines pectentem, testatamque se pro meretricio capillorum ornatu ad æterna tormenta damnatam. Cornelius à Lapide in cap. 9. Prov. asseverat, per mulieres & meretrices majorem hominum partem seduci & perire.

§. VII.

Sine Scalis, etiam ex statu Spirituali, multi descendunt in infernum.

AT saltem in hoc paucorum numero censebuntur omnes Episcopi, Prælati, Ecclesiæ Rectores religiosi, Eremitæ, &c.? Audiendi hac in re Sancti Patres, & Ecclesiæ Doctores. Sanctus Chrysostomus Hom. 37. ad Heb. col. 2. Episcopi onus adeò grave esse ducit, ut dicere non dubitarit: Miror, si potest salvari aliquis Rectorum. Rationem hujus dat in cap. 10. Joann. Etsi propriam benè dispensaverit Vitam, aliorum verò non cum diligentia curam habuerit, cum perniciosis in gehennam vadit. Sanctus Adalbertus Archi-Episcopus Gnesnensis dicebat, se ad viam salutis permotum, quod vidisset Ditmarum Episcopum Pragensem desperantèr morientem, cum diceret, se à nigris Spiritibus ad chaos tartareum deportari. Na-

dasi. Sanctus Bernardus Episcopatum ab Eugenio Pontifice oblatum non accepit, sed cum Jamfrido monacho admittere cogeret, respondit ille S. Bernardo; potiùs se fugitivum monachum fore, quam Episcopum. Revelatione dein innotuit, eum æternam damnationem evasisse, fugiendo hanc dignitatem. S. Hieronymus ad Eustochium scripsit de quodam post mortem apparente, & dicente: Scito, quia nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum. Marcellus II. Papa, cum aliquando pranderet, manu feriens mensam, Non video, inquit, quomodo qui locum hunc altissimum tenent, salvi esse possint. Per exaggerationem id esse dictum constat, quod tamen ostendit muneris magnitudinem. Glianes in Summa censurar. S. Anno è Milite, Colonienf. Episcopus, per iter è curru cœlum apertum contuitus, tàm hor-

renda divinæ iræ in eo vidit, ut sæpius gemens diceret: Væ misero mundo! Væ Episcopis, quibus nomen non Vita Sacerdotum est! Væ cunctis humanæ sortis angulis, ab illis qui dicuntur Episcopi. Nadas. His tamen non obstantibus, quot reperire est, qui dignitatibus inhiant, qui ad Infulas aspirant, purpuram ambiunt; tum se beatos in terris arbitrantur, non recogitantes, quàm hæc brevi deserenda, possessores suos infanda miseriarum abysso sæpe involuant.

S. Bernardus in Epist. Considero, inquit, gradum Prælatorum, sed vereor casum, considero fastigium dignitatis, & intueor faciem abyssi deorsum jacentis, attendo celsitudinem honoris, & è vicino formido periculum horrendæ damnationis; potentes enim potenter tormenta patientur. Idem S. relatus à D. Thoma Quodlibeto 9. dicebat: Quod qui
non

non unus, sed plures est in beneficiis, non unus, sed plures, futurus sit in suppliciis.

Sanctus Isidorus Lib. 5 de Sum. bono, cap. 46. ait: Sacerdotes, seu Pastores, pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. S. Antoninus tit. 16. cap. 15. & Vincentius Bellovacen. in Spec. hist. Lib. 25. cap. 89. referunt de Epistola a Sathana manui damnati hominis corporaliter apparentis inscripta, quâ gratiæ agebantur Parochis & quibusvis animarum pastoribus, quod tot perirent unà cum ipsis animæ, ob eorum negligentiam & vitæ improbitatem.

S. Chrysostom. hom. 3 in Acta: Non temere, inquit, dico, sed ut affectus sum ac sentio: Non arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant. Et S. Gregorius Hom. 17.

in Evangel. Ingrediuntur electi Sacerdotum manibus expiati cœlestem patriam, & Sacerdotes ipsi per vitam reprobam, ad inferni supplicia festinant. Religiosus quidam Anglus in extasi à S. Nicolao per varia purgatorii loca circumductus, ubi ad se rediit, inter cætera narravit: Vidi ibi Sacerdotes immensis cruciari tormentis, qui cum criminum culpas confessione delevissent, pœnis Divinæ justitiæ non satisfecerunt. Cumque vehementer admirarer, tàm paucos Sacerdotes illis fornacibus purgari, responsum est mihi, ideò; quod vix quisquam eorum, qui pravam vitam duxerunt, verum animi dolorem concipiunt de peccatis ante mortem, proptereaque penè omnes addici suppliciis sempiternis. Dion. Carthus. Lib. de 4. Noviss.

In Religione fortè omnes electi? in qua homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs. S. Bernardus dubi-

dubitat, ſic enim Religioſos ſuos alloquitur ſerm. 2. de Aſcenſ. Quis ſcit, ſi omnium veſtrum, quos hic video, ſcripta nomina ſunt in cœlis, & in libro prædeſtinationis annotata? quanto putas gaudio replerentur omnia oſſa mea, ſi id ſcire contingeret? Dicebat quidam Vir ſanctus (inquit Bona... Cardin. Lib. de Principiis vitæ Chriſtian. p. 2. §. 40.) Nullum eſſe Religioſum in cœlis, qui non fuerit Martyr in terris. Subdit autem inferiûs: Pauci ſunt, qui in ſimplicitate cordis ſui per ſpinoſa crucis itinera Chriſtum ſequantur, turba verò errantium maxima eſt. Refert Salianus L. 2. de timore DEI c. 38. quod Neapoli in quodam cœnobio, apparuêre religioſi implentes totum triclinium, quorum præcipuus dixit, omnes propter ambitionem, ſuperbiam, invidiam, aliaq; id genus vitia, ſententiam damnationis accepiſ-

cepisse; ejus dicti veritas ut omnibus innotesceret, superiore veste diducta, ardore flammæ conflagrare visi sunt, sicque evanuêre. Ita etiam scribit Anton. Senen. Chronic. Prædic.

De Eremitarum omnium electione fortè nemo dubitabit, quorum felicem declarans conditionem S. August. serm. 27. ad Frat. in Eremo. sic exclamat: O vita sancta eremitia! Vita Angelica, Vita Deifica non humana! Nihilominus Cæsarius Hom. 6. dicit: Venire quidem ad eremum vel ad religionem summa perfectio est, non perfectè autem in eremo vel religione vivere, summa damnatio est. Hinc S. Bernardus de Pass. c. 14. ingemiscit: De quantis legimus in Vitis Patrum viris, potentibus in vigiliis, & in jejuniis, in laboribus supra modum humanum, imò & in miraculis coruscantibus, qui ceciderunt, quia

quia non perseverârunt usq; in finem. Talis fuit Hero senex relatus à Cassiano Coll. 2. c. 5. qui in Thebaidis deserto annos quinquaginta commoratus, semperq; jejuniis intentus, tandem à dæmone in forma Angeli illusus, de Sanctitate sua præsumendo æternùm periit. Sic Stephanus, cùm annos circiter quadraginta in eremo vixisset, jejuniis, lacrymis, orationibus, aliisq; virtutum operibus ornatus, cordis puritati assiduè studuisset, in extremo agone cum dæmonibus diu confligens obiit, ambiguum omninò relinquens, salvusne, an reprobus esset; teste Joan. Climaco.

Quis hæc considerans non contremiscit? Quis inter tot difficultates, & discrimina certam sibi salutem audebit polliceri? Quis potest dicere (ait S. Bernard. sermon. 1. Dom. Sept.) ego de electis sum? ego de numero filiorum? quis hæc inquam,

inquam, dicere potest, reclamante Scriptura: Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit. Si inter pusillum gregem, prædestinatorum censendus sit? an vas in honorem, an in contumeliam? an inter titiones inferni, an inter Seraphinos paradisi? an inter oves, an inter hædos? Ovem te putas, hircum te fortè DEUS novit: inquit S. Aug. L. de ovibus c. 10. Hoc sacro horrore, simul & dolore percussus B. Ludovicus Bertrandus in consessu suorum, præsentes intuitus, à lacrymis temperare nequivit: causam rogatus, hoc paucis respondit: Timeo & fleo, quia nescio, quid de me futurum sit.

Cum igitur tam facilis sit descensus averni, cum tot ac tanti è quolibet statu descendant in gehennam; quis, rogo, peccatorum audebit per SCALAM rubeam, id est, JESUM Crucifixum ascendere altitudinem cœli, cum nec Religiosi

fratres S. Franciſci aſcendere poterant? Ad Patrem verebaris accedere, (inquit S. Bernard. ſerm. de nativ. Virgin.) ſolo auditu territus ad Filium fugiebas. JESUM tibi dedit Mediatorem; quid non apud Patrem talis Filius obtineat. Sed forſan & in ipſo Majeſtatem vereare Divinam, quod, licet factus ſit homo, manſerit tamen DEUS. Quid conſilii? quid auxilii? quid patrocinii? aut unde? Ad MARIAM recurre: exaudiet utiq; Matrem Filius & exaudiet Filium Pater. Ad hoc enim in Cœlum aſſumpta eſt Virgo, ut peccatoribus SCALA fieret.

§ VIII.

MARIA in Cœlum aſſumpta, Scala peccatorum.

S. Ro-

SAnct. Robertus è Lotharingiæ Principibus natus Dux, duodecim annos natus, à cœlesti quodam sene in loco amæno lotus, hæc audivit: SCALAM in cœlum tibi parabis, ubi socius Angelorum eris, Quisquis es, ô peccator, & Angelorũ Choris aggregari desideras, SCALAM tibi in cœlum para, id est, MARIAM singulari studio pietatis, ac fervore devotionis, prosequere. Filioli, (clamat D. Bernard.) hæc peccatorum SCALA, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Non Jejuniis, non prolixis precibus, lacrymis, vigiliis, miraculis aut visis cœlestibus confidit, sed in ea, quam ut fidus servus Dominam, cliens Patronam, Filius Matrem per omnem vitam summo honore & amore prosecutus est, spem certissimam repositam habet.

Nomen JESU venerandum, &c formidandum, quia Sanctum &terribile Nomen Domini Psalm. 10. Dominæ verò totum dulce & mansuetum. Unde sic sibi objecit Petrus Abbas Cluniacens. serm. 2. de annunciat. Si Nomen DOMINI sit terribile peccatoribus, quomodo Nomen Dominæ erit mansuetum & pium eis? Fortiusnè est Nomen MARIÆ? Estne efficacius? estne robustioris Virtutis? Quid erit, quod spe istius consequitur, quod alterius denegatur? Licet scribatur Proverb. 18. Turris fortissima Nomen Domini; ad ipsam confugiet justus, & salvabitur. Et in Psalmo: Domine refugium factus es nobis; tamen quem ponebant tunc refugium, etiam nec loquentem poterant audire: Non loquatur, inquiunt, nobis Dominus, ne moriamur. Isai. 21. Ecce Nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, & gra-

& gravis ad portandum. Hæren-da quidam dulcedo Nominis into furore resperſa: ideò David ait: Psalm. 110. Sanctum & terribile Nomen Domini. Quod ergo relinquitur peccatori refugium? certè turris fortiſſima nomen Dominæ, ad ipsam curret peccator & salvabitur. Ad MARIÆ Nomen confugiat, ipsum solum sufficit ad medendum. Nulla pestis tàm efficax, quæ non continuò ad MARIÆ Nomen cedat. Si tentatus ultra vires, timeas insidias, recordare quod turris fortiſſima Nomen Dominæ. Quid aptius & opportunius in rem peccatoris excogitari poterat?

Accedit aureum D. Anselmi testimonium Lib. de excell. Virg. c. 6. Velocior est nonnunquam salus memorato Nomine MARIÆ, quàm invocato Nomine JESU unici Filii ejus; & id quidem ideo non fit, quod ipsa major & potentior eo sit, neque ipse

ipſe magnus & potens eſt per eam; ſed illa per ipſum. Quare ergo potentior ſalus in recordatione ejus, quàm Filii ſui ſæpe percipitur? Dicam quid ſentio; Filius ejus Dominus eſt & Judex omnium, diſcernens merita ſingulorum; dum igitur ipſe à quovis, ſuo Nomine invocatus, non ſtatim exaudit, profectò id juſtè facit: invocato autem Nomine Matris, etſi merita invocantis non merentur, ut exaudiatur; merita tamen Matris intercedunt ut exaudiatur.

S. Germanus in Encomio de Virgin. dormitione ſic ait: Præſidium eſt Nomen Virginis MARIÆ. Præſidium, per quod omnes, quicunque devotè illud appellant, ſunt muniti non ſolùm adverſus juſtitiam Patris, Verùm etiam contra tentationes inimici. Subjungit autem hic Sanctus dignum obſervatione: Neq; tantùm hauſtu animæ noſtræ reſpirant, quan-

tum Nominis tui protectione confir-
mantur. Nunquam integra nobi
quies, niſi quando ſingularis erg
Nomen MARIÆ pietas, & illiu
protectioni nos enixè commenda-
mus. Cum dubia eſt nobis alicuju
cum extremo Spiritu confligenti
mors, conſpicilia, ſeu ſpeculum or
ejus apponimus, ut videamus utrum
etiamnum reſpiret. Sic & pecca-
tor immerſus vitiis, ſi in tot ſce
flagitia ingurgitaverit, ut omnes e-
um judicent mortuum, ſi tamen o-
re invocat Nomen MARIÆ, ha-
beatq; illud in corde, ne illum in mor-
tuis numerato, reſpirat enim adhu
& per Virtutem illius Nominis dabi-
tur ei robur, ut extricet ſe à ſuis mi-
ſeriis, & ad DEUM redeat. Hinc
Idiota Lib. 2. de Contempl. V. MA-
RIÆ. c. 5. ait: Tanta eſt Virtus tu
Sanctiſſimi Nominis, ô ſemper bene-
dicta Virgo MARIA! quod mira-
biliter emollit & penetrat, duritiem
cordis humani.

Et ipſa beatiſſ. Virgo, S. Brigittæ L. 1. Revel. c. 9. dixit: Hoc Nomen MARIA, cum audiunt illi qui in purgatorio ſunt, ultra modum gaudent, tanquam æger in lecto jacens, ſi audierit ab aliquibus verbum ſolatii. Angeli etiam boni audito hoc nomine ſtatim appropinquant magis juſtis, quibus dati ſunt ad cuſtodiam, & gaudent de profectu eorum. Dæmones audientes hoc Nomen MARIA, ſtatim relinquunt animas de ungvibus &c. Nullus etiam tàm frigidus ab amore DEI eſt, niſi ſit damnatus, ſi invocaverit hoc Nomen hac intentione, ut nunquam reverti velit ad opus ſolitum, quod non diſcedat ab eo diabolus: & nunquam amplius revertitur ad eum, niſi reſumpſerit voluntatem peccandi mortaliter.

Optimè Franco Abbas in fine T. 6. de gratia DEI. Poſt ſingulare Nomen JESU CHRISTI, quod eſt ſuper omne Nomen, nullum aliud nomi-

natur, unde tantum gratiæ, tantum spei, tantum svavitatis, tantum consolationis piæ mentes concipiant. Quotiescunq; enim dulcissimum Nomen MARIA, amatores illius audiunt, toties ex pio auditu, & svavitate auditi Nominis nescio quid inenarrabilis jucunditatis intùs trahunt. Nomen namq; MARIÆ mirum quid suave, ac divinum in se continet, ut cum sonuerit amicis cordibus, amicæ svavitatis odorem spiret. Et mirum illud est de Nomine MARIÆ, & valdè mirum, ut millies auditum semper audiatur quasi novum.

O Nomen, quod omnes creaturæ venerantur, & omnes dæmones contremiscunt! (exclamat S. Gerardus, Ep. & M. Ser. in Ann.) O Nomen dulce, Nomen delectabile, omni ungvento svavius, & omni odoramento delectabilius! Nomen istud gloriosum nulla lingva silere debet cœlestium, terrestrium, & infernorum. Benedi-

ctus

ctus ab omnibus sit Dominus DEUS, & ejus Nuntius Gabriel Archangelus, qui nomen istud magnificavit hominibus. Quocunque me verto, nominis hujus amor & virtus me sequitur. Sicut enim Christus quinq; vulneribus suis contulit plenè remedia mundo: ita beatissima Virgo suo sanctissimo Nomine, quod quinque literis constat, confert quotidiè veniam peccatoribus. Inquit S. Bern. apud Pelbart. in Spec. Virg.

O quisquis animæ tuæ salutem in tuto esse optas, & felici morte vitam concludere atque ad cœlum venire; in periculis, in angustiis, in rebus dubiis, M A R I A M cogita, M A R I A M invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, &c. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis, ipsâ duce non fatigaris, ipsa propitia perve-

nis, nempe ad cœlum, teſte D. Bernardo, quod absq; illa, nemo intrare præſumit. Nam ut ait S. Damianus: MARIA eſt SCALA Cœleſtis, per quam Supremus Rex humiliatus ad ima deſcendit, & homo, qui proſtratus jacebat, ad ſuperna exaltatus aſcendit.

§. IX.

Absque Scala, id eſt, MARIA, nemo in cœlum conſcendit.

AScendens Virgo in altum, (ait Div. Bernard. ſer. de Aſſum.) dabit ipſa quoq; dona hominibus. At quænam dona? declarat S. Epiphan. Ser. de laud. V. MARIA donorum antenuptialium nomine, Spiritum S. accepit; dotis verò gratia cœlum unà cum

cum paradiſo. Non alia ergo dona confert hominibus, niſi quæ accepit à SS. Trinitate, id eſt, Cœlum cum Paradiſo, hinc juſtum obtinuit titulum Dominæ & Reginæ Cœlorum; ex quo ſequitur, nullum penitùs cœlos intrare poſſe, aut ſuum iis pedem inferre absq; MARIA; & quotquot hucusq; eò ingreſſi ſunt, hodiè inibi dimorantes & poſtea adhuc ingreſſuri, omnes incomparabile hoc beneficium Marianæ adſcribere debere benevolentiæ; unde S. Germanus ait: Nullus eſt, qui ſalvus fiat, niſi per te ô Virgo Sanctiſſ.

Ideò etiam morienti adſtabat Filio, ut ait S. Joan. c. 19. Stabat juxta crucem Mater JESU MARIA. Cum enim bono conferendum eſſet regnũ cœleſte latroni, hocque regnum totum eſſet MARIÆ, ideo ſine conſenſu ipſius bonus nequibat remunerari latro. Qua de cauſa D. aſſerit Petrus Damianus, quod Paradiſum felici patefecerit latroni, MARIA inter

crucem Filii, & boni latronis posita.

Certissima quoq; SS. Patrum opinio, extremo judicio præsentem affuturam Magnam Matrem, de qua illud Christi dictum intelligitur: Mat. 12. Regina Austri surget in judicio. Non ob aliam causam, nisi ut per consensum illius Paradisus & Cœlum in præmium conferatur, quæ dotis nomine Cœlum accepit. In formidabili namq; die illo, sicut supplicia impios, ita & bonos sua excipient prœmia: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum: Matth. 25. Sine MARIA autem non confertur Paradisus. Impossibile est enim, juxta S. Ignat. aliquem salvari peccatorem, nisi per ejus auxilium & favorem.

Non frustra adveniente extremo judicio svadet Christus; Respicite & levate capita vestra. Sed quo levanda sunt? ad cœlum, respondet quidam Episcopus: Si caput attollent, cœlum aspectabunt, qui autem cœlum

aspecta-

aſpectabit, non triſtabitur cernens terrena corruere: nam cœlum iſtud benedictum, MARIA Virgo, inducet in animum peccatoris faſtidium terrenorum, quod illa tempeſtate erit ſummopere neceſſarium.

3. Reg. 6. In templo illo Salomonis duo oſtia de lignis abiegnis, altrinſecus & utrumq; oſtium duplex erat, & ſe invicem tenens aperiebatur JESUS & MARIA ſunt duæ portæ quaſi una, ſi claudis unam, utramq; claudis; Si unam aperis, utramq; aperis. Si agnoſcis JESUM, agnoſcere debes & MARIAM ejus Matrem digniſſimam. Si gratus vis eſſe JESU, & MARIÆ gratus ſis oportet & devotus. Si ingredi vis regnum cœlorum per JESUM & MARIAM, ingrediaris eſt neceſſe. Salus noſtra in manu illius eſt, inquit Richardus, ut ei dicere multo verius valeamus, nos Chriſtiani, quàm dixerunt Ægyptii, ſalus noſtra in manu tua eſt. Reſpicias nos

tantum Domina nostra, & læti serviemus Filio tuo. Vix enim comparuisti in orbem terrarum introducta, & illicò contulit tibi Omnipotens claves cœli; unde & tu cœlum clausum reserasti, cœlum quod nolebat demittere Messiam, à tot sæculis repromissum, aperuisti inquam, ut liquidò claves cœli collatas tibi cerneremus.

S. Bernardus verò ait. Cor Virginis non solùm clavis Cœli factum est sed & ipsum DEI, & omnium supercœlestium bonorum penu, seu armarium: non clausa sed aperta sunt MARIÆ arcana, & cuncti DEI thesauri in manu Virginis repositi sunt. Quæram⁹ gratiam & per Mariam quæramus, quia, qui quærit invenit, & frustrari non potest. O homo, clamat S. Anselmus, dum peregrinaris in hoc mundo, cupiens nancisci summam gloriæ felicitatem, esto quam devotus MARIÆ alumnus, adopta illam in Matrem, procura adoptari in MA-

RIÆ Filium, satage annumerari inter ejus clientes, inventa enim Virgine MARIA invenitur omne bonum. Et quodnam illud bonum? id est, DEUM, ipse enim solus est omne bonum, qui nullam habet rationem mali. Qui ergo habet MARIAM, habet ipsum DEUM, qui videt MARIAM, videt ipsum DEUM.

Hinc D. Bernardus super missus inquit: Ad MARIAM sicut ad medium, sicut ad Arcam DEI, sicut ad rerum creaturam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis, illi qui sunt in cœlo, ut resarciantur, qui in inferno, ut eripiantur, qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur, qvi seqvuntur, ut glorificentur. Sed notate verba, signate mysteria: Ad MARIAM respiciunt, qui in inferno, ut eripian-

tur, possitne animæ semel ad infernū damnatæ liberari, quandoquidem inferni est infinita pœna, juxta illa Christi verba: Ite maledicti in ignem æternum. Matth. 25. Scio quid dicat Gerson super Magnificat, quem citat Raujinus Tom. 2. de Sanctis, Ser. 45. Piè creditur DEI privilegio in Virginis Assumptione evacuatum esse purgatorium, dum enim Princeps coronatur, aperiuntur carceres; quanto magis in coronatione DEIparæ. Sed in infernum, cujus pæna æterna est, anima præcipitata, quomodo per MARIÆ Virginis intercessionem liberari poterit ab isto supplicio?

§. X.

Per Scalam, nempe MARIAM, etiam ex inferno, patet in Cœlum ascensus.

Tan-

TAnta eſt poteſtas Virginis glorioſiſſimæ, ut animam de facto in inferno concluſam, ſuſpenſâ tamen decretoriâ æternæ damnationis ex DEI providentia, ſententiâ, poſſit liberare. Pro fundamento hujus ſententiæ ſupponendum de fide eſſe, lege ordinaria, Judicis ſententiam irrevocabilem, ignem æternum; non tamen de fide, nunquam in ea lege diſpenſatum: uti de fide, lege ordinaria omnes mori, & peccare, ac cum originali concipi, non tamen de fide, has leges omnia privilegia, ac diſpenſationes excludere. Ita ut ſi DEUS nobiſcum diſpenſare poſſit, poſſibile fuerit, ipſum aliquando diſpenſaſſe; ita pariter diſpenſare poterit, ut quis jam tum inferni carceribus incluſus, in mundum redeat, pœnitentiam agat & ſalvetur.

Supponendum deinde, omnia quibuscunque creaturis concessa privilegia, multò excellentius collata fuisse in Matrem Virginem MARIAM; prout S. Anselmus de excellent. Virg. cap. 12. asserit, inquiens: Te DEUS sic exaltavit, ut omnia tibi secum possibilia esse donarit: & S. Bernardus ad Canon. Lugdun. Ep. 175. Quod vel paucis mortalium, constat esse collatum; fas certè non est, tantæ Virgini esse negatum. Et tandem S. Angelicus Doctor p. 3. q. 27. art. 1. in corp. Rationabiliter creditur, quod illa, quæ genuit Unigenitum à Patre, plenum gratiæ & Veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia acceperit.

Quodsi aliis Sanctis concessa est, aut ad minus oblata gratia, eximendi animas ex inferno, quare negabimus, per intercessionem Virginis Matris nullas liberatas, aut saltem non posse liberari animas ex inferno? Sed cu-

inam

inam, objiciet aliquis, oblatum fuit aliquando privilegium liberandi animas ex inferno? Traditur in Scriptura Sacra, quod Isaias vice quadam Regem Achab conveniens, dixerit: Pete tibi signum à Domino DEO tuo, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra. Is. 7. ubi Lyranus, & Abulensis exponunt: pete Achaz, ut quicunq; mortuus sive ex inferno, sive ex purgatorio tàm parvulorum, quàm damnatorum suscitetur, & protinus resurget. Itaque si petiisset, ut excitaretur Cain, aut Saul, aut Pharao, quos omnes constat tunc fuisse in inferno, planè inde sceleratissimi Regis intercessione extracti fuissent. Ideoq; Abulensis in c. 16. Mat. 9. inquit: Si petiisset à DEO signum, sicut DEUS jubebat, DEUS illud faceret, & in hoc appareret gloria DEI; perversus autem Rex nullum requisivit signum, non, quia de ejus assecutione dubitabat, sed ut non

cogeretur dare gloriam DEO: Noluit petere, ut non appareret gloria DEI; subjungit idemmet Abulensis. Ad impii Regis votum liberasset DEUS animas ex inferno; Ergò multò magis ad intercessionem Virginis Matris suæ liberat, atq; potest liberare.

Confirmat totum hoc S. Petrus Damiani Serm. 1. de nat. Virg. ubi alloquens V. MARIAM, inquit: Nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem salutis revocare. Huic consentit Sanctus Germanus in Encomio de Virginis Zona: Tu cum habeas maternam apud Filium tuum fiduciam, & potentiam, nos, qui sumus condemnati, & non audemus intueri cœli altitudinē, tuis interpellationibus & intercessionib⁹, DEO nos efficis familiares, das salutē, & ab æterno liberas supplicio. Ita liberavit Sacerdotem quendā, referente Jodoco Chlichtoveo, qui perpetrato adulterii crimine, cum redeundo do-

mum

mum solus, in navicula lacum dictum Sequana transfretaret, juxta consuetudinem quotidianæ devotionis suæ, cæpit Officium B. M. V. decantare, & ecce in ipsismet verbis: Ave MARIA gratia plena, Dominus tecum, &c. caterva dæmonum in naviculam irruit, ipsum Sacerdotem aquis suffocat, animamq; ipsius ad æternales inferni pœnas rapit. Die tertia Mater misericordiæ MARIA Virgo cum multitudine Angelorum ad locum supplicii venit, dæmonesq; compellat, cur animam servi sui tàm crudeliter & injustè cruciatibus & tormentis afficiant? Responderunt dæmones suam esse, quia in suis operibus raptam. Ad hæc MARIA Virgo: Si ad hunc anima spectare debet, cujus opera faciebat, ergo ad me pertinet, siquidem in officio meo decantando captus est hic Sacerdos, quare vos estis in culpa quod contra me insurrexeritis. His perterrefacti dæmones in fugam versi

& anima ad corpus reversa, quem ab utroq; funere excitatum divisis in duas partes aquis, B. V. MARIA ex profunditate incolumem eduxit. Quis ergo dubitet de intercessione Virginis? Quam D. Ephrem Syrus sic meritò compellat in Lament. Virg. O Sacrosanctissima desperantium spes, & damnatorum patrocinatrix! Neq; dicas, inquit Mendosa in virid. L. 2. Prob. 6. loqui de damnatis ad purgatorium; nam hi non dicuntur simpliciter damnati, & multò minus desperantes, de quibus hic agitur.

Hoc ipsum DEUS ipse videtur nobis innuisse, cùm Deutor. 32. sic peccatores alloqueretur: Videte, quod ego sim solus, & nō sit alius DEUS præter me. Ego occidam, & ego vivere faciam; percutiam & ego sanabo: & non est, qui de manu mea possit eruere. Hæc namq; divina verba Richardus in dialogismum disponens, & alia Christo Domino pecca-
torum

torum Judici, alia clementissimæ ejus Matri peccatorũ advocatæ tribuens, in hunc modum ratiocinatur: Sæpe quos Filii justitia damnat, Matris misericordia liberat: quæ scilicet justitia Filii & misericordia Matris videntur sic altercari. Quasi dicat Justitia: Ego occidam, & percutiam: Misericordia Matris respondeat: Et ego vivere faciam & sanabo. Dicit etiam misericordia Matris illud, quod sequitur: Et non est, qui de manu mea possit eruere. Deniq; concludens ita stimulat & excitat peccatorem, ut ad MARIAM quasi certissimum Asylon confugiat ab ira Dei: Fugias igitur (clamat Rychardus) sub protectionem manus ejus, & nihil timendum est. Non vehementia accusatoris, non magnitudo criminis, non furor judicis, non vis infernalium tortorum, non æternus carcer damnatorum.

3. Reg. 2. Iratus Salomon Adoniæ fratri suo & Abjatar Sacerdoti, unum

num illorum scilicet Adoniā ex nunc occidit; Hodie occidetur Adonias, misitq; Rex Salomon per manus Banasiæ filii Joadæ, qui interfecit eum. Alterum in eadem cum Adonia conjuratione existentem à morte liberat: Abjatar quoq; sacerdoti dixit Rex, vir mortis es, sed hodie te non interficiam. Quæ causa? addit sacra Scriptura: Quia hodie portasti Arcam Domini DEI. In hac Arca quam portabat Abjatar, erat virga Moysis, significans Justitiam DEI, fuit & Manna designans misericordiā MARIÆ. Quid est Arcam portare, & humeros submittere, (inquit D. Bonaventura) nisi ad MARIAM accedere, illi humiliare, & illius inniti & confidere auxilio. Hoc pietatis manna, & Regis sedavit furorem, & Abjatar posuit in tuto, ne interficeretur. Novarinus verò: Multi in infernum nunc essent trusi, nisi hanc portassent Arcam in corpore suo, nisi in hunc sanctum locum

cum se reciperent, qui eis immunitatis causa, ut olim civitas refugii. Sit miserabilis, sit pergravata criminibus anima peccatrix, sit rebellis, & quasi exclusa à Domo DEI; habet quo fugiat, ut possit salvari, habet ubi possit esse in tuto. ait S. Epiphanius. O Urbem refugii & potentissimam & pientissimam! Ad hanc quemlibet consceleratorum jubens recurrere S. Bern. Si criminum, ait, immanitate turbatus, conscientiæ fæditate confusus, Judicis horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso: cogita MARIAM, MARIAM invoca. Illa enim est propinqua nostra, illa contribulis nostra, illa de genere nostro. Facilius quemvis audit, quàm DEUS offensus, quia hunc nobis ipsa conciliat.

Hoc ipsum Hugo de S. Victore: Si pertimescis, ait, supllicaturus ad DEUM accedere, respice ad MARIAM. Non illic invenies, quod timeas

as: genus tuum vides. Jam veni mecum (adjicit B. Ildefonsus) ad hanc Virginem, ne sine hac properes ad gehennam: Veni abscondamur sub velamento, ne induaris confusione sicut diploide. O peccator! (exclamat Bernardinus de Busto) ne te desperationis barathro immergi sinas, sed confidenter ad potentissimam hanc clementissimamq; Advocatam recurre. Ipsa tibi succurret sine dubio, quia potest. Ita salvavit Petrum, teste S. Gregor. Nazian. tragœd. de Christo patien. qui asserit Christum Dominum ad instantiam Virginis Matris suæ remisisse S. Petro peccatum trinæ negationis. Ita Crucifixores Filii sui, qui dum illum negabant & crucifigebant, ipsa stabat juxta crucem, optans non damnari eos, qui à Filio desciverant. In hujus rei consideratione fuit S. Anselmus, cum ait: Nescit Mater aliud agere, quàm incessanter misereri peccatoris, & pro nobis omnibus adstare Salvatori. Verùm

Verùm perappositè in rem præsentem dixit Hugo Victorinus: O Virgo Christi, quantæ tua pietas est efficaciæ & virtutis! quæ non solum moventem, sed & removentem in viam provehis dirigisq; salutis. Premite in his illud: Quæ non solum moventem, sed & removentem in viam provehis. Benè nimirum facit etiam repugnantibus, nec intermittit pro eis obsecrare, quousque in semitam Salvationis adduxerit. Hæc Mariam Ægyptiacam ex vase contumeliæ in vas gloriæ transformavit. Hæc Theophilum è potestate Dæmonis ereptum cælo transcripsit. Hæc Guilielmum Aquitaniæ Ducem post seriam conversionem, sæculi tenebris incautiùs rursus illabentem; per subitaneam cœcitatem ad inchoatam pænitentiam reduxit. Quis unquam in mundo major Judâ peccator extitit? quis in terra DEUM, ejusq; Sanctissimam Matrem atrociùs offendit? hoc tamen

men non obstante: Si venisset ad Virginem, (inquit de Juda S. Vincentius Sermon. Domin. 5. post Trinitatis.) ut oraret Filium suum, ut parceret sibi, adhuc habuisset remissionem. O Matrem, longè quam dici aut cogitari potest, misericordissimam! in cujus gremium nocentes filii Adæ ubi se receperint, ab omni metu atq; periculo mortis æternæ sunt immunes, & felicis æternitatis acquirunt securitatem.

Quod ipse DEUS PATER S. Catharinæ Senen. revelavit dicens: MARIÆ Unigeniti mei gloriosæ Genitrici, à Bonitate mea concessum est, propter incarnati Verbi reverentiam, ut quicunq; etiam peccator ad eam cum devotione recurrit, nullo modo decipiatur à dæmone infernali: Hæc enim est præparata, electa & posita, tanquam esca dulcissima ad capiendos homines, & præcipuè animas peccatorum, ut refert Blosius par.

us par. 2. Veniant igitur peccatores ad eam, (ſuadet Fulbertus Carnot.) tundentes rea pectora cum interno fletu; ipſi quoq;, ſi verè pœniteant, deſideratam veniam adepturi. Si, quod DEUS avertat, eò infelicitatis recideres, ut nulla pietatis, aut conſuetæ devotionis ſcintilla in te remaneret; cultum tamen Virginis MARIÆ, dum vita ſupererit, illæſum ſerva: quaſcunque in anguſtias aut animi deſperantis anxietates incideris, dum ſpiras, ſpera in hac Virgine: hæc tibi Aſylum erit & refugium: ejus patrocinio gratiam veræ converſionis habebis: & ſi ſtares in præcipitio lapſûs in tartara, clama & invoca MARIAM, ejus intra brachia eris ſecurus. Cliens MARIÆ nullus æternùm perit. Si enim impiis animabus finaliter damnatis & in carcere infernali clauſis benignam ſe præbet; qualis virginea hæc Mater erit in ſuos clientes & fideles ſervos licet peccatores?

tores? Siquidem S. Ildelphonsus videtur sensisse, damnatorum pœnas mitigari, quotiescunq; in Ecclesia anniversaria DEIparæ in Cœlos assumptæ memoria celebratur. Sic enim loquitur serm. 5. de Assumptione: Lætitia hujus diei claustris infernalibus inclusis, aliquod remedium & refrigerium præstat; non audent ut opinor, ministri tartarei hodie attingere suos captivos, quos recolunt redemptos illius sanguine, qui pro mundi salute est dignatus de Virgine nasci. Idem sensit Prudentius & Sanctus Petrus Damiani de die, vel potius nocte Resurrectionis Dominicæ, nec non singulis diebus Dominicis. Quam opinionem de respiratione, & qualicunque damnatorum solatio, licet Petavius à communi sensu Catholicorum hujus temporis alienam esse pronuntiet; addit tamen, non temere tanquam absurdam esse explodendam,

dam, tùm quod ſit opinio Sanctiſſimorum Patrum, tùm quod nihil adhuc certi in hoc puncto ab Eccleſia Catholica decretum ſit.

Sunt qui exiſtiment, inquit Mendoſa in Lib. I. Regum cap. 4. & Ozam Sacrilegum, & filios Heli ſceleratiſſimos, æterna damnatione ereptos, & æternam ſalutem aſſecutos; illum quidem, quod dicatur mortuus juxta Arcam, hos autem, quod dicantur hoc loco pro defendendâ Arca occubuiſſe. Et ideò, inquit Div. Bonaventura in ſpec. Virgin. benè ſic ait Anſelmus; Tibi ſolum loquor Domina, beneficiis tuis plenum eſſe mundum; inferna penetravit, cœlos ſuperavit; per plenitudinem enim gratiæ tuæ, quæ in inferno erant, ſe lætantur liberata: & quæ ſupra mundum ſunt, ſe gaudent reſtaurata. DEUS, inquit Sanctus Antoninus 3. part. tit. 15. cap. 22.

§. 9. Miſericordiam, ne dum magnam, ſed & maximam fecit in Virgine pia; ut meritò nominetur, Mater miſericordiæ, & Regina ejus: unde in Antiphona, ſalve Regina Mater miſericordiæ: Hanc qui petit, ſine ipſa duce, ſine pennis, ſeu alis tentat volare. Liceat ſuperaddere; ſine SCALIS cœlum audet aſcendere, quod eſt impoſſibile; Si hanc (MARIAM) dimittis, non es amicus ſummi Cæſaris (DEI,) quoniam ipſe ſine ea non ſalvabit te. Sine Domina noſtra non potes habere ſalutem, inquit D. Bonaventura in Cant. Audite cœli. Proinde teſte Sancta Brigitta Libr. 6. Revel. cap. 10. Ipſa Beata Virgo dixit: Ego ſum Regina cœli, ego Mater miſericordiæ, juſtorum gaudium, & aditus peccatorum ad DEUM. Quare ſtudeamus & nos dilectiſſimi (hortatur Divus Bernardus ſermon.

3. de

3. de Advent.) per ipſam ad eum aſcendere, qui per ipſam ad nos deſcendit, per eam venire in gratiam ipſius, qui per eam in noſtram miſeriam venit. Etenim dulciſſima MARIA nullum à ſe repellit: peccatores ad ſe piè & humiliter confugientes, blandè ſuſcipit, fovet protegit, & Filio ſuo Materna fiducia reconciliat. Citius cœlum cum terra perierit, quàm ipſa aliquem ſeriò ſe implorantem, ſua ope deſtituat. Ait Bloſius in Spec. cap. 12.

O MARIA egregia peccatorum amatrix! exclamat Joan. Geometra, languentes hominum virtutes refove, & inolita vitia excoque, & tu puriſſima, puros nos redde, Virtuti DEO, Tibi. Unam, ac Te ſolam in cœlo, pro nobis fatemur, cum Sancto Auguſtino loquimur, ſollicitam. Pete ergo, non quæ à te petimus, ſed quæ noſti expetenda

nobis maximè esse. Tu palam designata es porta Solis ex alto progressi, Tu Thronus Regis excelsus, Tu SCALA sublimis, & ad cœlos usque porrecta, per quam CHRISTUS, ô nævis omnibus libera Virgo, descendit: ut nos peccatores ascenderemus. Tu Margaritam virginem Belæ Regis Ungariæ filiam morientem, Sanctorum & Angelorum choris comitata, visitâsti, ejusq; capiti coronam imposuisti, visa eandem coronatam in cælum per SCALAM præcedere. Teste Nadasi in Anno Cœlesti. Ad Te, unà cum Filio tuo, in alto conspectam, per SCALAM ad Cœlum usq; porrectam, candidos tuos filios ab Angelis duci vidit Beatus Bernardus Tolomæus. Idem. Tuæ CHRISTIq; manus SCALAS in quibus B. Dominicus collocatus erat, comitantibus Angelis & triumphum agentibus, in cœlum intulerunt, ju-

xta viſionem exhibitam Priori Brixienſis Cænobii. uti ſcribit S. Antonin. 3. part. Chron. tit. 23. cap 4.

Sub tuum pallium, S. Gertrudis in feſto Aſſumptionis tuæ, vidit quasdam varii generis beſtiolas accurrere, Symbola, ſub tuum præſidium confugientium peccatorum. Ergo in exitu animæ meæ de hoc mundo, (Suſpiro cum Seraphico Doctore in Pſalt. Virgin.) occurre illi Domina, & ſuſcipe eam vultu ſancto tuo, aſpectus dæmonis non conturbet illam, & ſis illi SCALA ad regnum cœlorum, & iter rectum ad Paradiſum DEI.

O Virgo Regina Virginum! Summum Trinitatis ſacrarium, Angelorum Speculum, SCALA Sanctorum omnium, tutum

peccatorum refugium: cerne ô pia nostrum periculum, in morte placatum nobis ostende tuum Filium, & tuum vultum gratiosum.

Orationem istam quædam Virgo ex sodalibus S. Ursulæ, docuit F. Henricum Carthus. dicens: Si assiduè dixeris Divæ MARIÆ: *Omnium Sanctorum gratiam assequeris. Ex Chronic. Ordin. Carthus. Lib. 5. c. 10.*

Gloria perennis tibi sit Spes nostra: Quæ regnas in cœlis, tolle nos ad astra.

D. Bonav. in Psalt.

SCA-

SCALA MARIANA, Justorum & Peccatorum.

Beata Virgo promisit nuper cuidam sibi devotæ, si cuicunque dicenti sequentem orationem cum devotione: si fuerit in gratia DEI, aucturam in corde ejus Divinum amorem ad unamquamque Salutationem & Benedictionem in Oratione contentam: Si verò fuerit in peccato mortali, velle se ad singulas Salutationes pulsare ad ostium

cordis ejus ad excitandum illum, ut aperiat idipsum Divinæ Gratiæ Et adjecit, quod quando quis invenerit, quemquam in gravibus peccatis, & difficilem converti, quod bonum foret illum excitare, ut bono corde dicat, aut pro se dici faciat sequentem Orationem. Et experientiâ probatum est, quod hoc mirabiles effectus in pluribus personis generaverit. P. Clottenus in Palmeto Sacræ devotionis part 7.

AVe MARIA, Filia DEI PATRIS. Ave MARIA, Mater DEI FILII. Ave MARIA Spon-

Sponsa SPIRITVS SANCTI. Ave MARIA Templum Divinitatis. Ave MARIA pulchrum Lilium splendidissimæ Trinitatis. Ave MARIA Rosa gratissima totius curiæ cœlestis. Ave MARIA Virgo Virginum, Virgo potens & plena dulcedine & humilitate, de qua nasci, & de cujus lacte pasci REX cœlorum voluit. Ave MARIA Regina Martyrum, cujus animam doloris gladius pertransivit. Ave MARIA Domina & Magistra mundi, cui omnis potestas data est in cœlo, & in terra. Ave MARIA Regina cordis mei, Mater, Vita, dulcedo, & tota Spes mea.

Ave

Ave MARIA Mater amabilissima. Ave MARIA Mater admirabilissima. Ave MARIA gratia plena, DOMINVS tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus sit Fructus ventris tui JESVS. Benedictus sit Sponsus tuus S. Joseph, benedictus sit Pater tuus S Joachim, benedicta sit Mater tua S. Anna, benedictus sit Filius tuus S. Joannes, benedictus sit Angelus tuus Sanctus Gabriel, Benedictus sit PATER ÆTERNVS qui te elegit, benedictus sit FILIVS tuus qui te dilexit, benedictus sit SPIRITVS SANCTVS, qui te desponsavit, & benedicti sint omnes

qui te amant & benedicunt, Virgo MARIA, benedic nos Sancta Virgo cum FILIO tuo charissimo, Amen.

Felix quæ generi humano, sub Tartara lapso, Ad cœlos facta es fors, Via, porta, rota,

Venantius Fortunat.

Ad

Ad majorem DEI, DEI-PARÆ, ac Sanctorum omnium gloriam, & peccatorum solatium.

FINIS.

Oratio

Quam Christus Dominus Beatam Giertrudem docuit post horas recitanda

Blos: Mon: C. 3.

O Bone Jesu propitius esto peccatori. Ego tepidum, distractum, et imperfectum servitium meum Commendo mellifluo Cordi tuo emendandum et perficiendum, tibiq ipsum Offero, in unione illius attentissimæ Orationis, quâ tu Patrem orasti et laudasti in terris. Responde, quæso, satisfac, et supple pro me plenissimè.

O Piissima Mater supple hoc imperfectum Obsequium meum apud Dilectum Filium tuum, Monstra Te esse Matrem.

O Piissime JESU, suscipe hoc idem de manu SSæ Matris tuæ, Unitumq tuis ac ejusdem Omniumq Sanctorum Meritis Offer æterno Patri.

Sancta Giertrudis ora pro me. Offer preces meas Cordi Jesu, a quo has didicisti.



